



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Pro aqua in fonte ad Monasterium dono data.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

Præterea exemptiones personæ tuæ, & Ecclesiæ tibi commissæ, à *Salzburgensis* Archidiaconi subiectione, sicut à præfato Archiepiscopo statutum est, & priuilegiis antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum roboratum tibi & per te Ecclesiæ tuæ auctoritate sedis apostolicæ cõfirmamus. Obeunte verò te nunc eiusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris, secundum Dei timorem & *B. Augustini* regulam prouiderinteligendum. Decernimus ergò vt nulli omninò hominum liceat præfatum Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia & integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vñsibus omnimodis profutura, salua sedis apostolicæ auctoritate & Diocæsani Episcopi canonica iustitia. Si quis igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit secundo tertioque cõmonita nisi p̄sumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruauimus, sic pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiunt, & apud districtam iudicem præmia æteritæ pacis inueniant, Amen.

Datum *Beneuent*, per manum *Gerhardi* sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarij, Calendas Julij, incarnatione 2. incarnationis Domini anno M. C. L. X. I. X. Pontificatus verò Domini *Alexandri* Papæ III. anno decimo.

Pro aqua in fonte ad Monasterium dono data.

In nomine patris & filij, & spiritus sancti. *Henricus* Dei gratia Dux *Bauariæ* atq; *Saxoniæ* &c. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuræ ætatis fidelibus, qualiter nos ob amorem diuinæ pietatis fratribus Ecclesiæ *S. Zenonis*, Deo & sanctis ibi patrocinantibus, eidemque iugiter famulantibus, aquam vnam in salina *Halla* de assere vno haurienda, absque omni angaratione & promulgatione sententiæ quam nos in eandem aquam habuimus, in tranquillitate & absque alicuius opponente contrarietate possidendum, permisimus. Si verò in huius aquæ traditione voluntas nostra varietate dispensatione, temporis & consilij immutata fuerit, centum talenta præfatis fratribus reddemus, & nos in supradictam aquam sententiæ sicut iustitia dictauerit, in iudicio nostro in eandem aquam dandam non negabimus. Vt verò huius pagine ordo in supradicto conditionis pacto ratus & incommutabilis permaneat, testimonialis nostri impressio sigilli eum corroborati. Qui autem huius dispensationis ordini intererant, eorum nomina sunt hæc. Comes *Pertoldus* de *Andechs*, *Otto* maior Palatinus de *Wiltinespach*, *Heinricus* de *Stoupe*, *Eberhardus* de *Fribindorf*. Data *Ratisponæ*, Anno Domini incarnationis M. C. L. X. X. I. gloriosissimi autem *Henrici* Ducis *Bauariæ* & *Saxoniæ* Anno peregrinationis primo. *Baldouinus* Notarius Domini Ducis assignauit.

Collat.